

fessionem, ut legenti patet. Unde cum ibi saecula a Tridentino, et Pio IV, sint poenalia et novi juris inductiva, non debent extendi ultra personas expressas, juxta citat. Regul. 15 et 49 Juris, in 6. Vide supra n. 29. (32. Nec ad ipsam fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini Canonici, et Dignitates Ecclesiarum collegiatarum, et possidentes beneficia inferiora non curata. Sic decisum fuisse a Sac. Congregat. Concil. die 19 Februar. 1588, refert. Garcias de Benefic., part. III, c. 3, n. 11, et ratio est, quia Concil. Trident. loc. cit. et Pius IV, in dicta Constitutione, incip. *Injunctum nobis*, loquitur solummodo de Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, et de aliis beneficiis curam animarum habentibus, adeoque Trident. et Piana dispositio non est extendenda ad Canonicatus, et dignitates Ecclesiarum non cathedralium, et solummodo collegiatarum. Aliter illa adjecta limitatio in Ecclesiis cathedralibus careret effectu, et frustra membranas occuparet, Garcias d. part. III, de Benefic., cap. 3, num. 11. Sanch. cit. c. 5, num. 1. Squillant. d. quaest. 2, punct. 4, § 1, num. 9. Barb. d. alleg. 61, n. 15, et d. c. 17, de Canon., n. 14, et alii passim. (33. Fuit autem dictum, supradictos omnes non teneri ad talem fidei professionem de rigore juris communis, seu Conc. Trid. et d. constitutionis Pii IV, quia licet supradicti, et caeteri alii beneficiati non teneantur ad emittendam fidei professionem vigore Concilii Tridentini, et cit. constitutionis Pii IV, cum ibi sit sermo solum de obtinentibus Dignitates, et Canonicatus in Ecclesiis cathedralibus, et de habentibus beneficia Curata, tenentur tamen ipsam emitte- re vigore legum dioecesanarum, in quibus fere omnibus reperitur statutum, ut omnes beneficiati etiam in collegiatis, et quicumque etiam beneficia simplicia ubicunque obtinentes teneantur intra duos menses fidei professionem facere coram Episcopo, vel ejus Generali Vicario, ut expresse sancitum fuit in Synodo Alexandrina 1753, tit. 1, de Fidei professione post Antverpiensem de anno 1609, tit. 1, can. 14 et Mechliniensem de eodem anno 1609, tit. 1, can. 4, et alias passim (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De fidei professione emittenda a Canonicis diximus in addit. ad verb. *Beneficiatus*, art. 1. (35. Illud autem hic non omitendum, quod licet ex resolutionibus Sac. Congreg. Concilii interpretis allegatis ab auctore constans dictae Sacrae Congregationis

(1) Sic in locis quos complectitur, uti apud Giraldum Exposit. Juris Pontif., pag. 1012, Concilium Romanum, celebratum a Bened. XIII, ann. 1725, ad eam tenentur sequentes sub poenis in dicta Pii IV Const. latis, aliisque Episcoporum arbitrio statuendis.

I. Episcopi alique de clero recens ecclesiasticis beneficiis provisi, aut sacris ordinibus initiati in dioecesana Synodo primo celebranda. II. Dignitates, et canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, tum in capitulo intra bimestre. III. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessio-

sententia fuerit, quod fidei professio fieri nequeat per procuratorem, tamen dubitari potest an eadem Sac. Congreg. in hac ipsa sententia steterit in Toletana 17 Aprilis 1728, tum in Mindoninen. Fructuum 26 Junii 1756. Consule folia harum causarum, resolutionesque quoad ipsas edictas.

(36. Lex autem haec de facienda fidei professione non solvitur per consuetudinem etiam constantem, sed solum per expressam exemptionem; Benedict. XIV, Instit. Eccles. 60, num. 7. Confer de hac ipsa materia professionis fidei eundem sanctissimum dict. Instit. Eccl. 60, per tot.

ARTICULUS V.

*Canonici quoad residentiam, chorum, et missam.*

(1. Canonici sive cathedralium, sive collegiatarum tenentur saltem per novem menses residere in Ecclesiis sui Canonicatus, ita ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt, sicque abstentiam trium mensium non concedunt. Concil. Trident. sess. 24, cap. 12 de Reform. ibi: « Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. » Concordat c. *Ex gestis*, 2, c. *Relat.* 4, c. *Conquerente* 6, c. *Cum ad hoc* 16, et c. *Clericus* 17 de Clericis non residentibus, c. *Ad hæc* 13, cap. *Exstirpanda* 30, § *Qui vero*, et cap. *Super inordinata* 35 de Præbend. (2. Menses tres, quibus Canonici quolibet anno abesse possunt, continere debent nonaginta dies, ita ut quilibet mensis suos triginta dies contineat, et dies isti possunt esse, vel continui, vel interpolati. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Fagnan. in cap. *Licet* 35 de Præbend., n. 54 et 55. (3. Ita tamen, ut non omnes Canonici possint simul abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur omni servitio, sed solum ea quota Canonicorum simul abesse possit, quae videbitur arbitrio Episcopi, et capitali, et Sanctissimus approbavit sententiam Congregationis ad se relatum, subdicens Concilium non dedisse tres menses capitulo, sed Canonicis; scilicet singulis per vices. Sic apud Fagnan. loc. cit. (4. Hujusmodi tres menses non

nem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii Generalis, prout et in alterutris manibus. IV. Quicumque alia beneficia simplicia obtinentes. V. Item novus Vicarius Generalis, Vicarii foranei, Procuratores, et Promotores fisci episcopalis, Cancellarii, caeterique ministri ejusdem curiae. VI. Novi Concionatores etiam regulares. VII. Novi Confessarii etiam monialium. VIII. Docentes publice, vel privatim theologiam, philosophiam, jus canonicum, aut civile, vel inferiores quaslibet disciplinas etiam grammaticam. IX. Ac tandem medicinam et chirurgiam exercentes (EDIT. BARBELL.).

debent incurrere in Natale, aut in Pascha Domini, vel similes maximas solemnitates, aut in tempus Adventus, et Quadragesimæ, aut in dies Dominicos, et Festos totius anni. Ita decrevit Sacra Congreg. Conc. in Interamnen. 21 Jul. 1640, et alibi pluries, ut referunt Zerola, p. 1. Praxis Episcopalis, verb. *Privatio*, § 4, num. 2, dub. 3. Garcias, part. III, de Benefic., cap. 2, num. 315. Armendar. tit. de *Residentia*, num. 38. (5. Ad confi-ciendum spatium trium mensium non sunt computandæ horæ cujuslibet diei, sed dies integri absentiae tantum; neque ad constituendum servitium novem mensium colligendæ sunt punctaturæ, quas iis, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio punctaturarum debito satisfecerint, sed ipsi dies residentiae, et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati numerandi sunt, ut compleant numerum dierum novem mensium. Sic responsum fuisse a Sacra Congregat. Conc. refert Fagnan. loc. cit., n. 56. (6. Unde statutum Ecclesiae permittens, ut Canonici propter loci frigiditatem, et aeris intemperiem in uno ex novem mensibus residentiae, uni horæ tantum quotidie intersint pro lucrandis fructibus illius mensis, est quidem contra Tridentinum, adeo ut non interessentes omnibus horis in prædicto mense amittant illam ratam fructuum, quam amitterent in aliis octo mensibus, singulis horis non interessendo; non tamen incidunt in poenam latam ab ipso Concilio, quasi abfuisset ultra tres menses. Sic respondit Sac. Congr. Conc. Episcopo Palentino, ut refert Fagnan. loco cit. n. 57.

(7. Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet, non est derogatum a Tridentino. Sic declaravit Sacra Congregatio 21 Februar. 1578, teste Fagnan. loc. cit. num. 58. (8. Nec ab ipso Tridentino sunt sublata statuta a Summo Pontifice confirmata, ut Canonici abesse possint ultra tres menses; Cardinalibus enim Sacrae Congregationis, die 7 Julii 1575, in diversa abeuntibus, Gregorius XIII, his auditis jussit servari statutum confirmatum, ut refert Fagnan. loc. cit. num. 59. (9. Imo cum postea dubitatum fuisset, an per Concilium esset sublatum quoddam statutum Ecclesiae Eboren., ante ipsum Concilium a Sede Apostolica confirmatum, ut Canonici semel in vita anno abesse possent Jerusalem proficiscendi causa, et sex mensibus, cum basilicam Sancti Petri quolibet quinquennio visitare vellent? Sacra Congregatio censuit statutum hujusmodi a Sede Apostolica confirmatum, non esse sublatum per Concilium; et ita etiam Sanctissimus probavit, ut refert Fagnan. ibid. n. 60. (10. Ut Canonici abesse possint tribus mensibus a Concilio permisis, nec Episcopi, nec capituli licentia, nec causa requiritur, et possunt Canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis. Sic decisum fuisse a Sacra Congregat. Concil. referunt Zerola in Praxi Episcop., part. I, verb. *Privatio*, § 2, dub. 4. Garcias d. cap. 2, num. 314 et 315. Barbosa dict. allegat. 53,

num. 118. Fagnan. loc. cit. num. 52. Et sic novissime respondit Sacra Congregatio Concil. in Castrimaris 4 Maii 1737, pro absentia intra dioecesim; si tamen velint abesse extra dioecesim, requiritur licentia Episcopi, ut expresse statuit ibidem in responsione ad 2 dub. (11. Licet autem Canonici possint libere et licite abesse illis tribus mensibus, non tamen pro eo tempore lucrantur distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos, seu præbendam. Sic declaravit Sacra Congregatio Concil., ut referunt Flaminio de Resignat., lib. I, q. 10, num. 63. Gonzal. ad regul. 8. Cancell., § 9, proemial. n. 182. Monet, de Distributionibus quotidianis, part. II, quaest. 2. Fagnan. loco cit., n. 32 et 93. Barbosa, dict. allegat. 53, n. 124. (12. Potest Episcopus ob legitimam causam dare Canonicis suis facultatem, ut possint abesse per quatuor menses. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Conc. referunt Armendar. loc. cit., n. 124. Comit., Respons. moral., lib. I, quaest. 59, n. 2. Garcias loc. cit., n. 411 et 413. Alzed. de Præstantia Episcop. dign., part. II, cap. 9, num. 39. Barbosa loc. cit., num. 123, et Fagnan. loco cit., n. 47, ubi dicit, quod Sanctissimus die 7 Octobris 1580, audita relatione Congregationis, imperitus est facultatem Episcopo, ut possit singulis annis, si sibi justa causa videbitur, licentiam concedere Canonicis non residendi per alium mensem ultra tres a Concilio eis concessos. (13. Si per specialem aliquarum Ecclesiarum constitutionem, aut consuetudinem longius servitii tempus requiratur, non est licitum Canonicis per tres menses abesse; sic expresse statuit Concil. dict. sess. 24, cap. 12, ibi: « Salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. » Unde Fagnanus loc. cit., n. 51, refert quod Canonici per constitutiones suarum Ecclesiarum ad longius residentiae tempus adstrictis, atque postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, Sacra Congregatio suo tempore semper abnuerit. (14. Dato tamen, quod alicujus Ecclesiae constitutum, aut consuetudo requirat servitium totius anni, tunc licitum est Canonicis per tres menses abesse. Sic refert Garcias, part. III, de Benefic., c. 2, n. 311 et 312, declarasse Sacram Congregationem in una Astoricensi, his verbis: « Decretum Concilii, cap. 12, sess. 24, concedit Canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones Ecclesiae servitium totius anni requirunt. » Residentia enim totius anni nimis dura videtur, maxime spectata fragilitate humana. Sic tenet idem Garcias loc. cit. Barbosa dict. allegat. 53, n. 121. Armendar. loco cit., num. 35 et alii. Advertendum tamen est, quod in Atrien. cum Canonici Ecclesiae cathedralis assiduum singulis diebus servitium præstare solerent, et indultum vacationis per tres menses postularent, die 19 Decembr. 1722, rescriptum fuit: Pro gratia ad duos menses ut ad normam decreti editi in Farfen. 13 Novembris 1655, nempe quod omnes interesse divinis officiis deberent diebus Dominicis per omne tempus Adventus,

Quadragesimæ, Octavæ Nativitatis Domini, ejusque Resurrectionis, nec non Pentecostes, et Corporis Christi; et numquam plures Canonici, quam in tertia parte eodem tempore frui vacatione possent. Et in Sypontina servitii Ecclesiæ die 6 Februarii 1734, ad dub. An Decretum Capituli concedens Dignitatibus, et Canonicis vacationem per tres menses, cum conditionibus in eo præscriptis sustineatur in casu, etc., respondit: « Negative et amplius; » divisi enim erant Canonici, quorum aliqui volebant continuare servitium sine vacatione, et alii volebant vacationem.

(15. Canonici non residentes per novem menses incidunt in pœnas Concilii Tridentini mox adducendas. Imo in ipsas Tridentini pœnas incidunt etiam Canonici, qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium sunt adstricti, si non resederint per tempus ipsum majus sibi constitutum. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. referunt Garcias d. cap. 2, n. 144. Barbosa d. alleg. 53, n. 146, et Fagnan. in cit. cap. Licet, num. 50, ubi dicit, quod proposito dubio: « An Canonici, qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium sunt adstricti, subjaceant, si non resederint, eisdem pœnis, de quibus in dicto cap. 12. Sacra Congregatio censuit subjacere. » (16. Pœnæ autem Tridentino impostæ Canonicis, ut supra, non residentibus, sunt, quod absens ultra tempus permissum primo anno privetur dimidia parte fructuum, et quidem ad ratam mensium quibus abfuit, si non est integer annus, ut censuit Sac. Congr. teste Fagnano in cap. *Ex tuæ* 11, *de Clericis non residentibus*, num. 15, secundo anno omnibus fructibus, et tertio anno privetur etiam Titulo Canonicatus, sic ipsum Concilium sess. 24, cap. 12, § *Præterea*, ibi: « Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentia fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia, contra eum juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur, » id est ad privationem Tituli. (17. Canonici tamen, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidunt, non tenentur istos in conscientia restituere ante sententiam condemnatoriam Judicis: sic colligitur ex ipso Concilii: *Privetur*, quod non operatur ipso Jure, sed per sententiam; Garcias part. 3, de *Benefic.*, cap. 2, n. 151 et 152. Barbosa *de Canonicis*, cap. 20, num. 22. Fagnan. in cit. cap. *Licet de Præbend.* n. 26, et Rota in causa Caurien. Fructuum coram Orano, 10 Aprilis 1592. (18. Ad incurrendam a Canonicis non residentibus pœnam privationis fructuum, non est opus prævia monitione ut resideant; argum. cap. *Potuit* 4, *de Locato*, ibi: « Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro homine interpellet, » et sic expresse decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Garcias d. cap. 2, num. 145. (19. Fructus illi quibus privandi sunt Canonici non residentes pro constituto

tempore, debent applicari in usum et fabricam Ecclesiæ, si indiget, alias alteri pio loco, arbitrio Ordinarii. Sic decrevit Sacra Congregatio, ut referunt Garcias cit. c. 2, num. 146 et 147, Armend. in addit. ad recop. legum Navarrae, lib. 2, tit. 23, *de Residentia*, num. 10, Castropalao in opere morali, tract. 7, *de Orat.* disp. 3, punct. 8, num. 6, Barbosa d. allegat. 53, n. 150. (20. Pœnarum gradus contra Canonicos non residentes a Concilio d. cap. 12, præscripti sunt necessario servandi, antequam deveniatur ad privationem: alias ipsa privatio, seu sententia privationis erit nulla. Sic Sac. Rota in una Salmantina de Petroso die 15 Decemb. 1576, coram Seraphino, et in una Oriolen. Canonicatus 14 Martii 1622, coram Navarro.

(21. Licet enim secundum aliquos Canones Canonicus absens privari possit Beneficio, si infra congruum terminum sibi præfixum ad residentiam non redisset, ut habetur cap. *Pervenit* 28, *de Appellat.*, et cap. *Inter quatuor* 10, et cap. *Clericos* 17, *de Clericis non residentibus*: (22. tamen ex nova dispositione Concil. Trident. loc. supra cit. sub num. 16, Canonicus ob absentiam privari non potest Titulo, nisi post lapsum trium annorum, ut declaravit Sacra Congregatio. ipsius Concilii Interpres. Cum enim Episcopus Tarentinus olim petiisset declarari a Sacra Congregat. Concil., An recte processisset contra subcantorem Canonicum Ecclesiæ suæ jam decem et octo menses absentem, cum ei comminatus fuisset pœnam privationis, si intra mensem non resideret, Sacra Congregatio declaravit, Concilium clare disposuisse expectandum esse lapsum trium annorum antequam ad privationem in totum procedatur, ut in dict. c. 12, sess. 24, vers. *Præterea obtinentibus*. Nam in primo amittit non residens dimidiam, in secundo omnes fructus, in tertio privatur Titulo, et ita rescriptum fuit plurimis Episcopis. Sic præcise refert Fagnan. in d. cap. *Licet, de Præbend.* num. 26, et Garcias p. 3, de *Benefic.* cap. 2, n. 140, adducit aliam declarationem Sacre Cong. Concil. quæ sic habet: « Redarguitur Episcopus, qui primo anno in Cathedrali, vel collegiata Ecclesia non residentem privat. » Disponit enim expresse Concilium, ut post primum, et secundum annum absentia Canonico: « crescente contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur. » (23. Unde postquam, juxta Concilium Canonicus absens fuit, privatur pro primo anno medietate fructuum, et pro secundo anno omnibus fructibus; si sine legitimo impedimento sit adhuc contumaciter absens, debet, juxta Sacrorum Canonum Constitutiones, si sciatur ubi existit, personaliter moneri, seu citari, ut redeat ad residendum in termino congruo arbitrio Episcopi sibi præfigendo sub pœna privationis, nisi respiscat; cap. *Ex parte vestra* 8, et cap. *Clericos* 16, *de Clericis non residentibus*. Si vero ignoratur ubi existat, tunc, trinæ citationis Edicto in valvis Ecclesiæ Beneficii affigendo, debet vocari, seu citari, atque post ultimam citationem per sex menses expectari; (24. quibus elapsis, si

sine legitimo probato impedimento Canonicus residere contempserit, non amplius privandus est fructibus, sed Beneficio est omnino spoliandus, juxta formam præscriptam in cap. *Ex tuæ devotionis* 11, *de Clericis non residentibus*, quam concilium non immutavit, imo expresse præservavit in d. sess. 24, c. 12, ibi: « Contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur; » id est Beneficio privetur ad eum modum, quo Sacri canones præscribunt. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Conc. referunt Armend. loc. cit. n. 98, et Barbosa d. Alleg. 53, n. 146.

(25. Ad propositum juvat adducere, quæ in una Cathacen. fuerunt quæsitæ, et a Sacra Cong. Conc. fuerunt resoluta, prout sequitur:

1. « An in causa privationis Beneficii ob non residentiam debeant servari dilationes trium annorum a Sacro Concilio præscriptæ?

2. « An servatio dictarum dilationum sit arbitraria Ordinario in Canonicatibus?

3. « An ex eo, quod Canonicus Cathacen. quatenus etiam consisteret in solis Distributionibus, sine Præbenda, aut massa grossa, in illius privationem ob non residentiam, dictæ temporum dilationes a Sacro Concilio præscriptæ potuerint ab Ordinario remitti eo quod illius cap. dispositio non applicetur; cum non existentibus fructibus non potuerit fieri sequestrum?

4. « An ex eo quod idem Canonicus absens fuerit spatio duorum et plus annorum, post quorum lapsum tantum fuerit monitus, currat eidem terminus trium annorum a Sacro Concilio indultorum, vel sex mensium a die absentia, vel a die primæ monitionis?

5. « An a privatione etiam ser. ser. facta ab Ordinario de Canonicatu ob non residentiam, detur appellatio suspensiva, vel tantum devolutiva?

« Die 14 Novembr. 1671, eadem Congre. mature discussa, censuit:

« Ad 1. AFFIRMATIVE.

« Ad 2. NEGATIVE.

« Ad 3. In casu proposito posse omitti sequestrationes fructuum, non vero dilationes temporum.

« Ad 4. Incipere triennium a die absentia.

« Ad 5. Non dari suspensivam. »

(26. Et cum postea in eadem causa pro dilucidatione 4. Dubii quæsitum esset, an contra d. Canonicum non residentem posset procedi ad privationem juxta Sacrorum Canonum Constitutiones post lapsum trium mensium et ultra secundi anni, vel expectandum esset, quod laboretur tertius annus integer?

Die 21 Maii 1672, « censuit expectandum esse triennium completum. »

(27. Verum est tamen, quod pendente ipso triennio poterit Episcopus prævis citationibus contra Canonicos absentes procedere per censuras, illosque suspendere, et excommunicare, non obstante, quod inchoata sit via iudicii præscripta a Concilio, juxta dispositionem text. in cap. *Ex tuæ devotionis*, 11, § *Contra eos, de clericis non residentibus*, prout eadem Sac. Congr. declaravit in Palentina, 18 Novembris 1673. (28. Pœnæ Canonico: non residentium possunt in-

figi etiam contra Canonicos coadjutores cum futura successione, et ideo monendi sunt ad residendum sub pœna privationis, ut respondit eadem Sacra Congreg. Conc. 12 Martii 1672, et in Oxonen. 8 Maii 1688. (29. Pœnas autem contra Canonicos non residentes non potest Episcopus remittere in totum; bene tamen ante sententiam minuere, vel augere; sic decisum fuisse a Sacra Congregat. Concil. refert Garcias d. cap. 2, num. 150. Reiffenstuel loc. cit. num. 128, et Fagnan. in lib. 1 Decretal., cap. *Irrefragabili*, § *Excessus, de offic. ordinari.*, num. 28, ubi refert, quod cum Episcopus Vercellensis supplicasset declarari, an hujusmodi pœnam posset ipsis Canonicis remittere? Sac. Congr. « censuit posse Episcopum ante sententiam, vel in actu sententia ex causa justa augere vel diminuere, et non in totum remittere. »

(30. Canonici si in novem mensibus ann absque legitima causa a residentia notabiliter absint, ultra supradictas pœnas, incurrunt etiam secundum multos culpam mortalem. Sic tenent Emmanuel Sa in Aphorism., verb. *Residentia*, num. 1. Nicolaus Garcias cit. cap. 2, n. 321. Squillant. *de Obligat. clericor.*, part. 1, n. 120. Sanctarell. var. resolut. qu. 4, num. 24. Filliuc. *Q. moral.*, t. II, tract. 23, cap. 7, num. 207. Suarez *de Religione*, tom. II, lib. iv, c. 10, num. 17. et cap. 13, n. 5. Diana *Moral. resolut.*, par. II, tract. 12, resolut. 31. Machado lib. IV, tract. 3, document. 4, n. 1. Leander part. VI, tract. 9, disput. 6, q. 33, et sequent. Barbosa *de Canonicis*, cap. 20, n. 8, et alii. Et ratio est, quia Canonici sub gravissimis pœnis, et sub districto obedientia præcepto adstringuntur ad assistentiam Chori; cap. *Dolentes* 9, *de Celebrat. Missarum*. (31. Imo ex Garcia, d. cap. 2, num. 322. Declarat. 29. Armendar. in addit. ad *Recopil. legum Navarrae*, libro II, tit. 23 *de Resident.*, num. 41, et Barbosa loc. cit. num. 9, nec excusantur a culpa mortali, quamvis velint quotidianas Distributiones amittere. (32. A culpa mortali tamen eos excusant Tamburin. (1), lib. II, in *Decal.*, cap. 5, § 4, n. 7, et alii apud Leandrum cit. q. 23, dummodo habeant animum cedendi distributiones tempore absentia, et non deficiant in contemptum, aut contra præceptum Superioris, vel ex eorum defectu non omittatur officium in Ecclesia, aut non dicatur cum debita solemnitate; et ratio istorum est, quia nullus adest textus, ex quo mortalis obligatio colligatur, pro residentia canonicorum, sicuti clare habetur pro residentia parochorum in Tridentino sess. 23, c. 1, *de Reform.* Tum quia concurrunt praxis multorum prudentum, qui nullum sibi conscientia scrupulum faciunt, non existimantes in eo peccare, nec communiter id notatur.

(33. Dantur tamen aliquæ legitimæ causæ omnino excusantes a continua residentia; et istæ generatim loquendo sunt quatuor,

(1) Verum hanc Tamburini sententiam laxitatem redolere, quis non videt? (EDIT. ROMAN.)

scilicet Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas, ut colligitur ex Tridentino sess. 23, c. 1 de Reformat., ibi: « Cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent, et exigant. » (34. Ad primam causam *Christianae charitatis* seu pietatis pertinet, si Canonicus a loco beneficii seu Canonicatus discedat causa juvandi proximum auxilium indigentem, v. g. ad dirimendas lites aut sedanda odia, quae inter quosdam sint suborta, et huiusmodi. (35. Ad secundam causam *urgentis necessitatis* pertinet, si Canonicus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, juxta c. *Præsentium* 3, caus. 7, quæst. 1, et cap. *Ad audientiam* 15, de Clericis non residentibus; vel ad effugiendam tyranni persecutionem, seu ad evitandas capitales inimicitias contra ejus personam subortas, ut notat Glossa in Cap. *Clericos* 17 de Clericis non resident., verb. *Excusationem rationabilem*; et in Clementina 1, de Statu monachorum, § *Cæterum*, verb. *Causa rationabilis*, vel ad proseguendam litem super juribus Canonicatus; aut ob piam peregrinationem, seu similem honestam causam, impetrata tamen licentia prælati, sicuti habetur in cap. *Relatum* 4, juxta Gloss. ibid. verb. *Prælatorum*, de Clericis non residentibus. (36. Ad tertiam causam *debitæ obedientiæ* pertinet, si Canonicus absit a residentia de mandato Papæ, ut in Apostolicæ Sedis servitio occupetur; occupatus enim servitio Papæ habetur pro residente in propria Ecclesia, cum serviat Ecclesiae universali; cap. *Cum dilectus* 14, et cap. *Ad audientiam* 15, de Clericis non residentibus. (37. Ad quartam causam *evidentis Ecclesiae vel Reipublicae utilitatis* pertinet, si Canonicus absit ob negotium et servitium Ecclesiae; cap. *Ex art.* 13, et c. *Ad audientiam*, 15 de Clericis non residentibus, vel causa adeundi synodum generalem, seu provincialem, aut diocesanam; vel causa studiorum; cap. *Relatum* 4 de Clericis non residentibus. Totius enim Ecclesiae universalis permaxime interest ad sui regimen, et servitium viros habere litteratos; cap. *Cum ex eo* 34 de Elect., num. 6, et in cap. *Super specula* 5 de Magistris, permittitur beneficiatis, ut quinquennio theologiae studere, eandem vero quandiu voluerint docere absentes possint sine reddituum privatione. (38. Speciatim etiam conceditur ut duo Canonici in servitio Episcopi occupati pro residentibus habeantur; cap. *de Cætero* 7, et cap. *Ad audiendam*, 15 de Clericis non residentibus. (39. Et isti duo Canonici possunt ab episcopo assumi, sive ex cathedrali, sive ex collegiata, ut a Sacra Congregatione Conc. fuit expresse decisum proposito dubio in hæc verba: « In causa Colonien. petente Archiep. Electore, an liceret pro servitio suæ diocesis assumere duos Canonicos ex qualibet collegiata, sicut licet assumere ex cathedrali? » Sacra Congregatio die 9 Septemb.

1628, « censuit Episcopum posse uti opera duorum Canonicorum sive de cathedrali, sive de collegiata Ecclesia, sed non plus duobus, » sic refert Barbosa de Canonicis c. 13, num. 8. (40. Canonici ex justa causa absentes non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemorabili consuetudine; sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Garcias d. part. 3, c. 2, cum 197, et Fagnan. in c. *Nulla* 2, de Concession. Præbend., n. 73. Alia de residentia vide verb. *Distributiones*. (41. Canonici tenentur recitare officium in choro; nec ipsis potest Episcopus concedere ut officium in sacristia; Sacra Congregatio Episcop. in Signina, 12. Januarii 1604. (42. Potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus extra chororum arbitrio Episcopi recitari divinum officium in diebus ferialibus, in diebus vero festis omnino recitandum est in choro; Sac. Rit. Congregatio in Lunen. Sarzanen. 5 Martii 1633. (43. Et Sacra Congregatio Episcop. in una S. Severini 13 Septembris 1641, decrevit esse tolerandum, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in sacristia. (44. In choro non est a Canonicis inchoandum officium statim signo dato, sed elapsa tertia parte horæ; Sacra Rit. Congregatio in Tarentina Chrysolitarum 3 Septembris 1601, ad 5, dub. (45. Et dato ipso signo debent Canonici in choro officium inchoare non expectato vicario; eadem Sacra Rit. Congregatio in Neritonem. 2 Februarii 1606. (46. Canonici sub onere, et obligatione restitutionis fructuum tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis, et non satisfaciunt, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos, et alios beneficiarios psallant, ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitent horas, quia institutio Canonicatum est, non ut adsint tantum in choro, sed ut canendo assistant et ob id eis dantur distributiones; ut colligitur ex Trident. sess. 24, cap. 12 de Reform. ibi: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro ad psallendam instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare; » et sic censuit Sacra Congregatio Concilii: nam proposito dubio, « An Canonici, et alii qui intersunt divinis officiis, satisfaciant eorum muneri exhibendo suam præsentiam in choro, etiam quod non cantent, neque psallant, maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias pias preces tunc recitare? An vero teneantur præcise alta et consona voce divina officia, et horas canonicas recitare, cantare, psallere, et aliter non satisfaciant muneri, et obligationi? » eadem Sacra Congregatio sub die 20 April. 1602: « censuit teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Vide verb. *Missa*, art. 3, num. 11, ubi ad id afferitur novissima dispositio Benedicti XIV. (47. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in choro, et Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere; Sacra Congre-

gatio Rituum in Eginatensi 24 Novembr. 1602. (48. Canonici non tenentur ad harmonicam modulationem cantus figurati, sed satisfaciunt in magnis festivitatibus, in quibus Ecclesia eo cantu utitur assistendo cum debita attentione cantoribus. Ita cum pluribus a se citatis Barbosa de Canonicis, cap. 34, num. 14. (49. Canonici, qui solebant cantare matutinum una hora post ortum solis, non sunt cogendi ut matutinum ante ortum solis cantent. Sac. Congr. Rit. in Asculana 16 Septemb. 1606. (50. Canonici, quamvis pauci sint, puta duo, vel tres, tenentur canere, seu recitare officium in choro, alias possunt ab ordinariis distributionibus punctatura privari. Sac. Congr. Concilii in Nullius Orbetelli, 31 Martii 1696.

(51. Canonici tenentur recitare in choro officium defunctorum, psalmos graduales, et penitentiales solum juxta Constitutionem S. Pii V, et non alias. Sacra Congregatio Rituum in Suessan. 28 Januar. 1606. (52. Et qui prædicta non recitant, minime peccant. Eadem Sacra Congregatio in Barchinonen., 10 Januarii 1609. (53. Canonici recitantes in choro officium B. Virginis Mariæ in semiduplicibus, et Dominicis ex consuetudine, illa deinceps uti possunt, non obstante rubrica Breviarii. Sacra Congregatio Rit. 1 Septemb. 1607. (54. Canonici recitantes in choro officium parvum B. Virginis Mariæ tempore paschali, debent facere sine addito Alleluia. Sacra Rit. Congregatio 28 Martii 1626. (55. Canonici tamen non tenentur recitare in choro officium Beatæ M. V. ubi non est consuetudo; ex Bulla enim S. Pii V, incipiente *Quod a nobis*, Romano Breviario præfixa, pro his qui Romanum ritum servant, sublatum est hoc onus, ubi contraria consuetudo illud recitandi non vigeat, quæ S. Pontifex non abstulit, sed jussit servari, ut observat Fagnan., in cap. 1, num. 35, de Celebr. Missar. (56. Imo S. Pontifex in ipsa Constitutione, ut videri potest in principio Breviarii, tollit peccati obligationem, quæ erat recitandi in choro officium parvum B. Mariæ V. defunctorum, psalmos penitentiales, et graduales cogere potest Episcopus ad præstandum juramentum de fideliter punctando in choro. Sacra Congregatio Concilii 17 Mart. 1619. (58. Canonici non possunt exire a choro nisi petita venia ab Archidiacono sive præsentanti, per salutationem sub pœna punctationis, ut præscripsit Sacra Congregatio Episcop. in Aprutina 19 Aprilis 1716, et declaravit Sacra Congregatio Concilii in Lunen. Sarzanen. 4 Junii 1701. (59. Canonici confabulantes in choro sunt punctandi, et privati distributionibus tanquam absentes, ut rescripsit Sacra Congregatio Episc. Episcopo Nucernino 7 Sept. 1594. (60. Canonici, et dignitates non debent in choro habere stratam, sive tapetum. Sacra Congregatio Rit. in Herbipolen. Præminentiarum 22 Nov. 1698, et in Urbinat. 23 Januarii 1700. (61. Canonici in choro, vel in Ecclesia divinis officiis interessentes sine habitu canonicali et superpelliceo, debent punctari. Sa-

era Congregatio Rit. in Lunen. Sarzanen. 3 Martii 1633. (62. Canonici non debent permittere ut laici, dum divina celebrantur, stent, vel sedeant in choro. Sacra Congregatio Rit. in Compostellan. 4 Februarii 1600. (63. Canonicum, vel Capellanum potest ordinarius excusare a choro ex causa justa comprehensa in capite unic. *de Clericis non residentibus*, in 6, sine consensu aliorum Canonicorum et Capellanorum. Sic decisum fuit a Sac. Congregatione Concilii, ut refert Garcias de Benefic., part. III, cap. 2, n. 407. (64. Canonicus junior in choro juxta consuetudinem Ecclesiae debet supplere vices hebdomadarii absentis, vel impediti, et non Coadjutor, licet sedeat post ultimum Canonicum. Sac. Congregatio Rit. in Elboren. 15 Aprilis 1606.

(65. Canonici tenentur quotidie ad canendam Missam conventualem; adesse enim in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis obligationem cantandi quotidie Missam conventualem, tradunt communiter doctores, præsertim Glossa in cap. *Cum Creatura* 51, de Celebrat. Missar., ubi Abbas, Joan. Andr. Fagnan. et cæteri canonistæ, idque sub mortali, quia est de materia gravi, et quæ omnium plurimum confert ad divinum cultum, cui maxime detraheretur, imo plus quam si non celebrarentur horæ canonicæ, cum major sit cultus sacrificii, quam horarum canonicarum; stante autem gravitate materiae consurgit gravis obligatio. Sic expresse Pignat., t. I, consult. 321, n. 2, et consult. 391.

(66. Et Missam conventualem canendam esse quotidie in cathedralibus et collegiatis pluries decrevit Sac. Congr. Rit. et signanter 14 Januarii 1603, et in Faventina sub die 25 Junii 1611, et sub die 28 Januarii 1612, decrevit Canonicos teneri omnino ad cantandam Missam de die. (67. Et etiam in illis diebus quibus cantant aliquam Missam votivam. Eadem Sac. Congr. in una Urbinatensi 21 Junii 1611. Non enim pro Missa votiva omitti potest Missa conventualis. Eadem Sac. Congr. in dicta Faventina sub die 16 Februarii 1627. (68. Et abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die, ultra votivam, seu pro defunctis. Eadem Sac. Congr. in d. Faventina sub die 18 Junii et 28 Augusti 1628. (69. Unde licet in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam votivam de B. M. Virgine singulis diebus Sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa conventualis. Eadem Sac. Congreg., 2 Decemb. 1684. (70. Præterea Missa conventualis in Quadragesima, Adventu, Quatuor Temporibus, et similibus, etiam quod in dictis diebus occurrat festum duplex, non est omittenda, sed utraque Missa, nempe de sancto, et de feria, est celebranda. Eadem Sac. Cong. in Lunen. Sarzanen. 5 Martii 1633. (71. Hinc cum Canonici Ecclesiae cathedralis Faventinae petissent eximi ab obligatione canendi Missam conventualem de die, quotiescunque eadem die aliam Missam cantassent vo-